

1573









Ill, X d 6190

ILLVSTRIVM

ALIQVOTV GÈRMANO-
RVM CARMINVM LIBER,

De immanissima summèq; miseranda Christiano-
rum laniena ab impijs & crudelissimis Galliaë Tyran-
nis, Lutetiaë Parisiorum, Lugduni item, alijsq; eius-
dem regni locis truculentissimè sceleratissi-
meq; patrata.

Anno Salutis M. D. LXXII.

*Vna cum Epicedijs & Epitaphijs quibusdam præstantissimi Herois D.
Casparis Collignij Comitis, Castilionæi, Amiralij Francia, nec non
aliarum quarundam præstantium personarum.*

Quibus addidimus ad summæ gloriæ apicem Fœdus Hen-
rici cum Turca: & Conditiones Caroli IX. Polonis
oblata ad regni ambitum cum Com-
mentarijs.

No 1467 = 1915. 1150

VILNÆ

M. D. LXXIII.

CATVLLVS.

Nec facta impia fallacum hominum coelicolis placent.

MOVIDIVS.

Fraude perit virtus.

SENECA

— Prosperum ac felix scelus
Virtus vocatur, fontibus parent boni.
Ius est in armis, opprimit leges timor.

IDEM

Vos quibus Rector maris atq; terræ,
Ius dedit magnum necis atq; vitæ,
Ponite inflatos tumidosq; vultus:
Quicquid à vobis minor expauescit,
Maior hoc vobis Dominus minatur.
Omne sub regno grauiore regnum est.

IN



IN PERFIDIAM ET CRVDE-
LITATEM, QVAM CAROLVS NO-
nus, Galliā rex in Christianos ex-
ercuit.



*E*ma fuit: Moscum furys vrgentibus arma
 Aduersus ciues expedisse suos:
 Euertisse solo populantibus oppida flammis,
 Texisse innumeris arua cadaueribus.
 Audijs hæc Gallus, famamq; Tyrannidis huius
 Inuidit titulis, barbare Mosce, tuis.
 Nec mora, Carnifices clam stringi præcipit enses,
 Christiadamq; neci millia multa dari,
 Expediunt famuli crudelia iussa tyranni,
 Perq; vias sternunt corpora, perq; domos.
 Nobilitas cum plebe cadit, discrimine nullo
 Maclantur pueri decrepitiq; senes.
 Plecluntur pauide scelerata morte puellæ
 Nec grauidis parcit matribus, ira ferox.
 Impius vndanti vestigia sanguine pingit
 Miles, vbiq; pauor mortis, vbiq; nefas.
 Authores scelerum prædis ditantur abactis,
 Christiadam vacuæ dum lacerantur opes.
 Tristior hæc facies, quàm si Mahometicus hostis
 Ingruat, & patrios depopuletur agros.
 Barbara nunc igitur gaude, Moscouia gaude,
 Te superat turpi Gallia barbarie.
 Tu crudelis enim sed non periura fuisti:
 Ter fuit hæc ruptis perfida fœderibus.

4
*Barbara nunc igitur vulgo & periura feretur,
Antè fuit tantum Gallia dicta leuis.*

DE CAEDE CHRISTIANORVM,
facta in die festo Decollationis D. Ioannis, iussu &
fraude, Caroli Noni Galliaë regis, dum celebran-
tur nuptiæ Nauarraë Parrhisij.

*Dum pia turba cadit scelerati fraude Tyranni
Carnifices quid agant, admonet ipse dies:
Quem populus diuo, veteri pro more, quotannis
Baptistæ festum Parrhisiensis agit.
Nam velut huic inter genialia sacra, Lyceo
Dum calet, Herodes abstulit ense caput.
Sic rex, nunc inter sacra coniugialia, Gallus,
Christi dum perimens, millia multa necat.
Herodis viuum vermes rosere cadauer:
Carole Phthiriasine moriare caue.*

I. C. A.

AD CAROLVM NONVM GAL-
liaë regem, de rubo spinifero, efflorescēte in Coc-
meterio monachorum Parrhisiensiu, dum
maçtantur Christiani Lutetiaë mense
Augusto.

*Florescunt spinæ: caueant sibi Lilia: raro
Lilia sub spinis surgere læta solent.
Dum steriles inter vernabant Lilia spinas,
Maxima Galle tui gloria ruris erat.
Nunc dum Romuleis floret rubus asper in hortis,*

Et

§

*Et mala Condeas enecat vmbra rosas:
Naturam nostris credas tibi dicere verbis,
Liligerum perdet Romula spina ducem.*

ALIVD DE EODEM.

*Æterni Christus soboles æterna parentis
In cruce pro nobis spinea ferta tulit,
Quæ cum Parrhisia cæforum nuper in vrbe
Christiadûm, rursus sanguine sparsa forent:
Emisere suos alieno tempore, flores:
Hinc, quam fœcundus sit cruor iste, nota,
Qui reliquis herbis rabido morientibus æstu,
Germinat: & cælo semina digna mouet.*

I. C. A.

AD EDICTVM CAROLI NONI
Galliæ regis, quo se de Cæde Christianorum
purgare conatur.

*Terra parans Gallis lethum Trinacria, ciues
Ad vespertinas iussit adesse preces
Et cum Sicanias sonuissent æra per vrbes
Omnis Gallorum turba perempta fuit,
Hinc exempla petens inuisa Lutetia cælo
Ad festum proceres coniugiale vocat.
Quos lautè primis fouet vrbs malefida diebus
Et vacuos curis omnibus esse iubet.
Mox nec opinatò per vulnera sternit inermes,
Hospitij contra iura, fidemq; datam.*

a ij

Proh dolor inuicti proceres, & fortia bello
 Pectora, regali prodita fraude cadunt
 Et quos armorum in castris vis nulla subegit,
 Hos pax è viuis insidiosa rapit.
 Heu mihi, quò tandem, quo res humana redibit?
 Si nec apud reges est reperire fidem,
 O scelus, ô labes, ô nostri dedecus æui,
 Quæ censura piæ posteritatis erit?
 Tu tamen infandum falsa sub imagine crimen,
 Edictis tolli Carole posse putas.
 Falleris: haud vllis est excusabile verbis,
 Cùm scelus admissum res manifesta probat.
 Quorum prima tuis solari vulnera verbis
 Ausus es: Vltorem te fore pollicitus:
 Quos sub amicitie fallacis imagine, mendax
 Lingua improuisum traxit in exitium:
 Hos, edicta modò condens mendacia, falsæ
 Proditionis agis, proditor ipse, reos.
 Si meruere crucem, quorum nunc funera damnas,
 Cur non iudicio cognita causa fuit?
 Cur prolata prius, quàm sit sententia, tollit
 Conuictos nondum carrificina reos?
 Aut si quid proceres peccarunt morte piandum,
 Cur scelus hoc insons, cur pia turba luit?
 Cur aliquis, sacris quem fons prius abluit vndis,
 Lustrali rursus tingitur amne puer?
 Cur qui Romuleo nolunt dare thura Baali,
 Nunc quoque crura graui compede nexa gerunt?

Addere

7
Addere te pudeat turpi mendacia culpa,
Bis peccat falso qui negat ore scelus.
Si tibi non mentem cæcus furor abstulit omnem,
Simpliciter lapsus, confiteare tuos.
Tende miser supplex irato brachia cælo
Et veniam toto pectore posce Deum.
Ni facis hoc, rex (vaticinor) dabis impie pœnas:
Non erit imperij vis diuturna tui.
Quisquis es interea regis periuria Galli,
Gallorum monitus, disce cauere, malo.
Nosse bonum est hominum mores, vt punica quondam
Sic non est hodie Gallica tuta fides.

D. P. L.

Ἰπὶ σαρκασμοῦ

OB SARCASMVM, QVO CARO-
lus Nonus, Gallia Tyrannus, funera Chri-
stianorum allatrare dicitur.

In tanto scelere atque infanda cæde tuorum,
Carole te verbis ludere rumor ait:
Cumq; tuæ passim submersa cadauera plebis,
Voluat in æquoreas Sequana tristis aquas.
Tu pisces illis vesci, qui mandere pisces
Noluerint, Roma præcipiente, refers.
Illepidus iocus est, nec dignus principe sermo
Qui populi gaudet perditione sui.
Rex bonus ad pœnas gemit, & suspiria ducit,
Cum cohibet ciues carnificina reos,
Tu benè promeritos Heroas piscibus escam

Obijcis: & rides fanera Christi adum:
 Nec ferro iugulasse sat est, nisi scommate sanctis
 Insultet petulans lingua cadaueribus
 Disce puer, quid sit verbis illudere Christo,
 Disce quid & manes sit temerare pios
 Antiochus Solyma ciues maētavit in vrbe
 Quod stygio nolent sacra litare Ioui.
 Innocuas tenero perfudit sanguine cunas
 Herodes, Christo dum parat insidias:
 Vitali multos spoliavit Honoricus aura
 Saluificam Christi qui coluere fidem:
 At tandem tribus his, è putri carne scatentes
 Vermiculi, diræ causa fuere necis.
 Tu quoq; defunctis qui monstra marina minaris,
 Viuus adhuc ne sis vermibus esca vide.
 Si te nulla mouent æui documenta prioris
 At patris exemplo parcere disce pijs:
 Qui se visarum Burgæo dixerat Annæ,
 Corpus in arsuos ferret vt ille rogos:
 Dixerat: adest Annas prius immedicabile vidit,
 Vicina vulnus patris ab arce tui:
 Lancea cui penetrans tenebrauit luminis orbem,
 Dum leto pugna ludit in hippodromo.
 Et quod mireris, Burgæum carcere clausit,
 Atq; tuum patrem sustulit vna manus.
 Si violata fides, si vis iniusta probanda est:
 Si merito laudem fæda Tyrannis habet:
 Tu quoque nunc merito post fædera rupta triumphas
 Nobilis

9
Nobilis infami Regule seuitia.
Contra, si DEVS est fandi memor atque nefandi,
(Vt memor est) iocus hic desinet in lachrymas.
Vos igitur manes, quorum nunc corpora vastum
Triste scelus regis mittit in Oceanum.
In Christo gaudete, piis lætissimus instat,
Qui vobis reddet corpora vestra dies:
Corpora siderea multum radiantia luce,
Siue ea nunc Xiphias, siue ea Cetus edat,
At tu Romuleo deuote Tyranne Baali,
Ibis ad infernas ni resipiscis aquas.
In quibus haud muti rodent tua viscera pisces,
Sed, quæ te perdat, flamma perennis erit:
Carnificesq; tuos tecum cædisq; ministros,
Qui scelerare suas non timuere manus.
Nec tamen interea quamuis diæteria fingas,
Hæc expers mæsti vita doloris erit.
Semper enim facinusq; tuum fraudesq; manebunt,
Et te fama reum publica cædis aget.
Te genius malus & Rhamnusidis ira sequetur
Horrida, te dira noctis imago premet.
Quicquid agas, quocunque abeas, mens anxia curis
Post caput ultorem sentiet esse DEVM.
Sic vbi vexatum tulerit mors atra, sedebunt
Ad tua custodes impia busta stryges.
Fœda quibus sociæ iungent sua tecta volucres,
Harpyiæ, Cuculi, nycterides, epopes.
Perpetuo stabit nox circumfusa tenebris,

Et grauis ex illa nube volabit odor.
 Quem procul vt sensit, compressa nare, viator
 Protinus auertet tristibus ora locis:
 Et dicet: sordet nostri hic infamia secli,
 Carolus & fidei proditor & patria.

D. P. L.

IN TITVLVM CHRISTIA-
 nissimi regis Gallia, hendeca-
 syllabi.

Qui Christi titulis superbit, ille
 Gallorum celebris monarcha, nuper
 Romanis furys adactus, omnes
 Contra fœdera pacta, Christianos
 Bonis exuit integris: & aura
 Vitali spoliauit innocentes.
 O dignum scelus ethnico tyranno.
 Hunc ergo, nisi mentiatur, ausit
 Regem dicere nemo Christianum.

D. P. L.

DE CARNIFICE TORGEN-
 SI IN GALLVM.

Vrbs quædam posita est stagnantis ad Albidos vndas,
 Torgæ, si cupias noscere, nomen habet.
 Hic, vbi carnifices vicini constituissent,
 Officij causa visere Carnificem,
 Pascuntur largè: fessis sed sæpe bibendo

N

Ni biberint, Hospes nunciat exitium.
 Confestimq; alios somno potuq; sepultos
 Enecat, ast alios vulnerat atq; fugat.
 Carnifici similis Torgensi Francicus est rex,
 Vnde hoc? hospitij laesit vterque fidem.
 Mitior ille, tamen, neque enim inuitauerat ante
 Impius, l. orrifico quos dedit ense neci.
 Hic post regales epulas sacrumq; hymenæum
 Ferrum in conuiuas strinxit atroce manu.
 Ille sui generis homines iugulauit & artis,
 Sustulit hic claros Marte togaq; duces.
 Ille minis facinus, quod mente agitarat apertis
 Ostendit, ficto hic verba dolore dedit.
 Ille sepultura truncata cadauera liquit
 Hic Sorbonistis dilanianda dedit.
 Ille rotam meritis: quid rex? me iudice cingat
 Illius candens igne corona caput.

S. S. M.

IN GALLVM.

Dum Gallus famam magnis extendere factis
 Cogitat, extemplo talia verba refert:
 Percupio titulis maiora accedere nostris
 Nomina: iam dudum nil iuuat esse leuem.
 Nec mora, subiectos verae pietatis amantes,
 (Iuratam dederat queis prius ipse fidem)
 Horrendum dictu, Turca truculentius, armis
 Inuictos, Guisus enecat arte, dolis.

b ij

*Inmane auditu, grauidis nec parcitur aluis,
 Maētantur passim fœmina, virgo, puer.
 Efferus vt quondam diuini nominis hostis
 Innocuos miserè sæuijt in pueros.
 Et tamen Herodes Gallo moderatior, vt qui
 Sæuitiem pariter cum nece deposuit.
 Degenerat Gallus, modò non morientibus instat,
 Sed laniat diris corpora cesa modis.
 Egregias ergo laudes hinc Galle reportas,
 Addis & hæc titulis nomina clara tuis.
 Impius, immanis, sceleratus, perfidus, excors,
 Sunt ea gloriolæ iusta trophæa tuæ.
 Inunc & sacri prætendito nomina Christi,
 Qui Sathanae verum dicere mancipium.*

AD GERMANIAM DE SCELERE
 atque perfidia Galli, regni proprii subditos, contra
 religionem ac fidem datam crudeliter
 maētantis.

*Desine iam tandem Gallo Germana vocari,
 Auso tam tetrum, Teutona terra, nefas.
 Qui iurans fallit, regniq; in uiscera sæuit,
 Sanguine Germano num satus esse potest?
 Quid victor gaudes? hæc te victoria reddet
 Perpetuò sceleris perfidiæq; reum.
 Vincere si tamen est, occidere fraudè dolisq;
 Perfidia victor, quilibet esse potest.*

I. T. S.

IN

IN CARDINALEM LO-
tharingum.

Discere vis quare teneas à cardine nomen?

Non opus est, noris cum te animumq; tuum.

Sed discant alij: Cunctorum cardo malorum es,

Cardo doli, fraudis, perfidiæ, sceleris,

Vesanus nebulo, fallax, impurus adulter,

Impius, immanis, sanguinolentus, atrox.

Cardine sed tali non panditur area cœli,

At patet infernæ ianua magna domus.

Quo citus vt venias, maturè & spontè, precamur,

Pandat tartareas hic tibi cardo fores.

I. H. T. S.

AD REGEM CAROLVM NO-
num Franciæ.

Tres desertores fidei iuris q; sacrati

In regno nuper Gallica terra tuo,

Reges interiere insigni morte perempti,

Post Carole hos quartus ter tibi trine caue,

Nunquam non animaduertens vlciscitur ira

Commeritis pœnis impia facta DEI.

Periuuro & sceleri imprimis vindicta parata est

Cum generis diro totius exitio.

Discite iusticiam moniti & non rumpere pacta

Fœdis fragæ & puras cedis habere manus

Assequitur quamuis fugientem pœna scelestum,

Sive potens rex sit sive Colonus inops.

b ij

DE EIVSDEM QVODAM
edicto.

Patratum facinus nunc impietate nefanda,
 In Gallico regno omnium atrocissimum
 Insuper edicto regis defenditur, vt iam
 Nec causa turpi egeat patrocínio mala,
 Perq; nefandum excusatur mendacia factum
 Et vanitatem seuitia adiungit sibi.
 Improbilas ita se pro se dicendo refutat
 Audaxq; seipsum euertit elidens furor.
 Scilicet hæc est diuini sententia iuris
 Se ledat ipsam maximè vt vesania,
 Et mens iam vera rationis lumine cassa
 Quid atque quantum peccet haud intelligat,
 Ac ruat in scelera vsque furens donec sibi tandem
 Accersat exitium actibus dignum suis.

Anasthasius QV.F.

MARCI PARRHESIADAE IN CA-
 rolum Nonum Gallia Tyrannum perfidissi-
 mum & crudelissimum.

Fœdera cum multis pepigisti Carole, multa,
 Soluisti & multa cum leuitate fidem.
 Tres promisisti paces, nisi perfidus esses
 Carole, nulla harum ter violata foret.
 Criminis insimulas Colignum: sed tamen eius
 Sanguis mentiri teq; tuosq; docet.
 Dum scelus excusas Legatis vndique missis,

Rex

Rex scelus accusas perfidiose tuum.
 Vin' tibi credatur? Stygia prius abluere vnda,
 Cum redeas, habeat tunc tibi Teuto fidem.
 Mendax, periurus, crudelis, perfidus, atrox,
 Nomina sunt factis congrua Carle tuis.
 Fers pietate duas rex iusticiaq; columnas
 Occulit ad geminum bina columna nefas
 Carole si poteris sic Christianissimus esse,
 Esse potest unum, Christus & ipse Sathan.
 Nonus es, atque novum mox Gallica regna videbunt,
 Implesti decimas, sæue Tyranne, tuas.

Eiusdem Parrhesiadæ ad regem Gallia.

Incertum ne putas hominem, qui talia finxit?
 Non incertus homo est, qui tibi certa refert.

IN CAROLVM GALLIARVM TY-
 rannum foedifragum, periurum, diuini humaniq; iuris
 Contemptorem die XXIV. Augusti anno CIJ.
 IJ. LXXII. nobilitatis suæ florem im-
 manitate inaudita necantem.

S A T Y R A.

Carole dum gentem violato fœdere maestas
 Subiectam tibi, nulliusq; ream malefacti.
 Cultricemq; Dei & veræ pietatis amantem.
 Gratum vt pontifici facias matriq; pudendæ.
 Artibus es quorum ad tantum scelus exstimulatus,
 Et patre te stulto (genitum te quando putarunt,

Errico esse homines: nisi te Lotharingica furta
 Supposuere patri, namq; hæc quoq; fama vagata est:)
 Et genitrice, omnis sceleris quam fæda libido
 Polluerit, certo declaras esse creatum,
 Hinc igitur mirum nulli videatur ab istis,
 Natam progeniem recti nil velle nec æqui,
 Omnia sed contra Ius, fasq; audere fidemq;
 Id probat ante quidem bis ruptæ pacis abunde
 Perfidia innumerabilium & laniena virorum.
 Sed quasi non satis illa probent, certesq; priori
 Perfidiæ, aut ne sit cunctis ætatibus alter
 Perfidior, metuas: libuit complere nefandos
 Sævitæ numeros, scelus ô scelus. At tibi vates
 Non falsus prædico, Tuæ periuria linguæ,
 Et scelus effectæ stragis, fususq; piorum
 Sanguis, adulteriumq; tuæ improbitasq; parentis.
 Quæque piget memorare tuum regnumq; domumq;
 Teq; ipsum artificesq; tui sociosq; furoris
 Funditus euertent radice imaq; reuellent
 Ut tibi succedant alij. Namq; improba nunquam
 Perfidaq; impunita sinit DEVS acta: suumq;
 Et rabiem aduersus vestram & periuria vestra
 Inuictò seruare valet pro numine Cætum.
 De hinc vos Germani, moneo cognoscite fraudem
 Insidiasq; Lupi, & stabulis hunc pellite vestris.
 At Galli, quorum sitit illa hauritq; cruorem
 Bellua, confestim irruite, & quocunque potestis
 Sævitiam cohibete modo, effrenemq; furorem

Ee.

*Et meritas scelerum tantorum sumite pœnas
 Si sapitis: patriam vt tam dira peste leuetis
 Nec vos & vestros maectet Caracalla nepotes.*

I. A.

AD GALLIAM.

*Rex puer est, proceres scelerati, regia fallax,
 Fœdifragi ciues, Vrbs laniena tua est.
 Crudelis nec iura timens, at fœdera rumpens,
 Est bene de regno Gallia stulta tuo.*

In Lilia insigne Gallorum.

*Lilia quæ tantam fecerunt horrida stragem
 Nomine mutato sint aconita mihi.
 Aut Esulæ tristes, aut exitiale Napellus
 Virus, & inferno nata cicuta cibo.*

In Galliam πρυόφῶγιν.

*Quæ necat innocuos violato fœdere natos
 Gallia, non mater, sed truculenta Lupa est.*

Aliud in eandem.

*Gallia maectatrix, Lanius Rex, dira macellum
 Lutetia, ô nostri temporis opprobrium.*

M. S.

ALIVD.

Erratum est vates fluuios dum fingitis Orco,

c

Non ibi post Lethen, Styx fluit atra suam
 Tiberis, Iberus, Arar, Lutetia, Roma, Toletum
 Hic sua sunt Diti Tartara, sunt fluuij.

I. C. A.

EPIGRAMMA IN GALLI
 foedifragi insignia.

Lilia cur gereres in signis Carole, nuper
 Mirabar, mirum non magis illud erit.
 Nempe sui perdunt vix nata coloris honorem
 Lilia, sed nares non citò linquit odor:
 Ipse tui amittes data vix diademata regni
 Perditus, at sceleris fama cruenta manet.

IN GALLVM.

Luciferum cantu Gallus denunciatur: ortum
 In fletu prodis, perfide Galle, diem.
 Ille iubet ciues sua tollere corpora lectis,
 Tu lectis eadem surgere caesa vetas.
 Vae tibi. nam flebis, quando canit alter: & astat
 Quando, peregrina turpè iacebis humo.

In regem Gallorum carnificem.

Inclita Christicolæ qui iactat nomina gentis,
 Ille colat natum, Carole none, DEI.
 Tu quid membra DEI sobolis laniata trucidas,
 Carnificis titulos ergo decenter habe.

S. S. M.

EPITA,

EPI TAPHI V M CASPARIS

Colligni Thalassiarchæ regis
Franciae.

Qui caput ante fuit populantum templa latronum,
Casspar habet nullum mortuus ipse caput.
Sacra, prophana, manus cuius rapuere rapaces,
Nunc habet is nullas truncus vtrinq; manus,
Parte sacerdotes, solitus mutilare pudenda,
Cuncta pudenda gerens nulla pudenda gerit.
Qui mergebat aquis, vrebatur ignibus olim
Innocuos, & aqua est tostus & igne nocens.
Miserat in præceps qui corpora multa piorum,
Ipsam præcipitem celsa fenestra dedit.
Pronus & in vacuas animum sic expuit auras,
Ne premeret patriam quam violarat humum.
Pendet ab infami, crucis hostis, nunc cruce, loris
Traiectus plantas, dirus vt ædipodes.
Et qui gaudebat superis oppedere, viuis,
Mortuus in cælum terga supina tenet.

Auratus Poeta regius Autor.

In reginam Galliae Catharinam Flo-
rentinam.

Fœmina miraris Salica cur lege refixa,
Audax imperio Gallica colla premat
Euirat bene gallos, testes cristasq; reuellens,
His pasta, in Gallos sceptrum virago tenet.

c ij

EPIGRAMMA, IN AVRATVM,
perfidia & immanitatis Gallicæ impium
approbatorem.

*Impia periuri laudet quis crimina Galli?
Nemo quidem certè qui pius esse volet.
Impius est igitur, quem fæx Papistica inaurat,
Auratius, famæ prodigus, ecce, suæ.
Auratius tantum, non aureus esse laborat,
Conueniunt rebus nomina vera suis.
Ast Aurate caue, species cum deperit auri,
Æratus nudone videare sinu.*

In reginam Galliæ Catharinam Flo-
rentinam.

*Fœmina, nil mirum, Salica quod lege refixa,
Et trux & meretrix Gallica colla premat.
Et Cleopatra prius, vetitis adamata maritis,
Ægypti validas non bene rexit opes:
Aspidis hæc morsu vitæ sibi finijt vsum,
Illi perpetuum vulnus at aspis alet,
Dicitur ast bellè, Catharis Medicæa, Virago
Innumeros quoniam sustulit illa viros.*

I. H. T. S.

ALIVD

In Auratum Poetam regium, Perfidia & imma-
nitatis Gallicæ impium approbatorem.

Quisquis es, Aurati qui stulto nomine gaudes,

Cor

Cor gestans saxo durius, aut chalybe:
 Cur vitam scelerate notas ab imagine mortis,
 Quæ non mors fati, sed laniena fuit?
 Si tamen euentu contendis facta probari,
 Casparis vltorem, sis memor, esse DEVM.
 Eximium Baptista caput, Paulusq; piorum,
 Supplicium capitis, sanctus vterq; tulit.
 Tradiderat Bauaris Emeranus, origine Gallus
 Præco salutari dogmata pura fide.
 Et tamen abscissis manibus, cæsisq; pudendis,
 Sustinuit caussa pro meliore necem.
 Attalus ad prunas candentes tostus obiuit,
 Iudice sed martyr posteritate fuit.
 Præcipitem eiecit prærupta fenestra Calixtum,
 Submersum putei forte scatentis aqua:
 Nec minus huic clarum peperit bene præstita nomen
 Tuta fide pietas, & pietate fides.
 Sic Christus mundi precium non vile redempti
 Pendulus infamem pertulit ipse crucem.
 Sic Christi Petrus vestigia læta secutus,
 Inuersis pedibus triste pependit onus.
 Nil Aurate probas, miserabilis exitus ornat
 Christicolam, nullo priuat honore, virum.
 Nempe hæc discrimen pariunt spectacula nullum,
 Nemo malus tragico funere, nemo bonus.
 Martyrium doctrina facit non pœna, reatum
 Demere non Iudex, sed bona caussa potest.

I. S. F. M.

c ij

ALIVD

In reginam Galliae Catharinam Flo-
rentinam.

Desine mirari, Salica cur lege refixa
Regnet, & in Gallos, foemina, ius habeat.
Quae tot passa procos, omnes exhaustit, & una
Exhausta est tantis ipsa libidinibus
Verum huic, cum fleret noctes exosa pudicas,
Nequitiae Philtrum flebile, Papa dedit.
Testiculis, dixit, gallorum in fercula sumptis
Qui iacet ad venerem frigidus, ardet amor.
Consilio auxilium mox addidit & noua cedis
Supplicia, inuentis expedienda dolis.
Hinc furor in Gallos, & non audita tyrannis,
Colligno hinc etiam caesa pudenda duci.

I. S. F. M.

EPIGRAMMA DE GAL-
lo foedifrago.

AUTOR & NEMESIS.

Quò Vulcanus abit, Nemesis? sub tartara. quænam
Causa via? solita fabricet arte veru.
Cur ita? transfossus torrebitur ilia Gallus.
Quo meruit flammæ crimine? perfidia.
Quando? piæ terram cum sanguinis amne lauaret
Gallida. quis suasit tanta lauacra? parens.
Ista vetus meretrix? erras, tam casta vocatur,
Quam Papa sanctus. hic est fur, ea Thais? ais.

Vibræ

*Vibrat adhuc cristam Gallus tamen? esto: iacebit
 Protinus. hunc maneant fata paterna? manent.
 Quis plumis spoliet caesum? Stygis vnda. quot assum
 Conuiuæ comedant? Mater & ipse Papa.
 Sed Papa diuorum mensis accumbat? In Orco.
 Cur minus in caelo? nilibi iuris habet.
 Exulet is caelo quod vendit pluribus? immò,
 Venditor emptori cedere iura solet.
 Qui comitabuntur lusus conuiuia? ventres
 Dilaniet saturos Cerberus ante fores.
 Sic hilaris nunquam Gallus canet? igne ciebit
 Sibila. sed fiet post modò mutus? erit.*

S. S. A. M.

EPITAPHIUM CASP. COLIGNI

Pietas & Amirallius colloquuntur.

- P. Ille Dei miles iacet Amirallius, armis
 Omnibus inuictus, victus ab insidijs.
 Sic ego te video, dolor, ô dolor, ergo iacentem?
 A. Sic iaceo, non me vera iacente iacent.
 P. At quis erit sanctum, qui nunc propugnet, ouile?
 A. Ipse suum tutum Pastor ouile dabit.*

T. H. B. V.

ALIVD.

Hospes & incola colloquuntur.

H. Quis situs hic? I. Christo & patriæ chariss. heros,

- Maximus inuidio pectore, mente, manu.
Cuius non animum vis aut fortuna subegit,
Victus inaudita fraude doloq; iacet.*
- H. *Qui iacet? I. Incautum lethali vulnere lesit,
In scelus à furijs exagitata manus.*
- H. *Quæ diuæ assistunt tumulo? I. Prima optima rerum
Religio, scissas dilaniata comas.*
- H. *Altera quæ? I. Nemesis, qua vindice criminis autor
Ibit ad infernas sanguinolentus aquas.*
- H. *At generose heros laus vita & gloria parta est
Non occidendo, sed moriendo tibi.*

N. C. M.

CASPARI COLIGNIO CHASTI-

lonæo Comiti, ductori Classis Gallicæ, pace iura-
ta, & reconciliata ubiq; gratia in regiarum
nuptiarum festiuitate vna cum alijs ex
nobilitate Gallica insidiosè inter-
fecto D. XXIII. M. VII. An.
Christi M. D. LXXII.

*Dum regemq; tuum, & tua toto regis in orbe
Christi, defendunt arma Coligne fidem,
Hostibus & sanctæ te opponis religionis,
Asseris & forti Francica iura manu:
Victor sæpius, ac nullo in certamine victus,
Consilio & vir sis quantus & ense probas.
Iurando & pacem sancitam iure reponis,
Ut vestro in regno constet ubique quies:
Perfidia victi specie & mendace fauoris*

Accitus

Accitus leto ad regia festa, die.
Tuq; tuiq; cadunt circumuenti scelerata
Occultas inter fraude inimicitias.
Heu mihi, qui rerum status est nunc deinde futurus,
Quæ spes non dubiæ firma salutis erit?
Si promissa nihil, nil sacri vincula iuris,
Icta valentq; Deo fœdera teste, nihil.
Inq; furunt consanguinei sua viscera sæui,
Ipse vnus populus fitq; homicida sui.
Sic etiam Ambosij patrata nefaria cedes
Admonuisse minus fidere debuerat.
Sic Condæe tibi dextra obtulit impia letum,
Passim aliosq; dedit fraus violenta neci.
Nec genus, aut etas, aut sexus conditione
Hoc in inhumano tuta furore fuit.
Heu mihi, quæ macula hoc factò tam nobile regnum,
Quàm turpi fœdat de decorando nota?
Tu vero, sua quem pietas, constantia, virtus,
Caræ amor & patriæ Caspar in astra tulit,
Periuras terras, & regnum infame relinquens
Non prodesse tuis te potuisse doles.
Quicquid erit posthac obita es sic morte beatus,
Et tua perpetuò fama celebris erit:
Præclara egregij & meriti te laude perennis,
Ornabit memoris posteritatis honor.
Atq; eadem facinus tam sæuum atque ausa nefanda
Condigno celebrans proferet elogio.
Atque tuum corpus crudeliter esse peremptum,

Exanimum affectum ludibrioq; ferunt.
Scilicet est odium patefactum hostile ita, nec te
Attigit, exuias sed furor iste tuas.
At nunc præcipuo decusso, Gallia, flore
Quam facies regni, est nuda decore tui?
Et tu quale vrbis vesana Lutetia probrum,
Supplicium in fonti spurca cruore, dabis?
Ipsè Deus Deus ipse hæc vindice lumine cernit,
Et grauior iusta est pœna futura metu.
Quæ veniet si sera, vt lenta est numinis ira,
Dira tibi veniet terribilisq; magis.
Cætera non dicam. Sed vos mala cuncta timete,
Impia enim semper vindicat acta Deus.
Vltio nec properat semper, sed colligit ira.
Iusta mora pœnas accumulando, Dei.
Credite. Quod si qui securi credere nolunt,
Fatum y cognoscant experiundo suum.

Anastasius QV.F.

EPICEDION NOBILISSIMI HE-
rois, Casparis Colligni Castilionæi Comitis, Ami-
ralij Gallia, Parisijs XXIII. Augusti an-
no LXXII. scelerate & miserè
trucidati.

Ergo iaces æui decus admirabile nostri,
Vnice Francorum nobilitatis honos.
Summe Vir, afflictæ qui relligionis Asylum
Et cœtus oculus totius huius eras,
Qui gerit à Christo nomen dæce, quemq; redemptum

Afferuit

Asseruit precio sanguinis ille sui.
 Ergo iaces Caspar, Collignæ gloria gentis
 Castilionæ sola columna domus,
 Cui vel consilio, vel rebus fortiter actis,
 Gallia non habuit, non habitura parem est,
 Cui non Romani veteres se laudibus æquent,
 Natioq; egregios, quæ tulit vlla, viros.
 Cui toties fractis exercitus hosticus armis,
 Cui toties regum succubere manus.
 In quem nil Italûm validæ potuere cohortes,
 Nil quas aurifero misit ab amne Tagus.
 Nil pedes Heluetius, nil Marte superbus equestris
 Saxo, non hastata Celta phalange potens.
 Pontificum fraudes, nugas, commenta, furores,
 Dum verbis audes postposuisse DEI.
 Et circumlato diuturno fulmine belli,
 Proq; aris edis prælia proq; focis.
 Felix ô nimium felix, nisi blanda secutus
 Periuri regis dicta fidemq; fores.
 Qui tua dum Virtus Marti non cedit aperto
 Perfidiæ inuenit, qua caperere, viam.
 Qui te, qui socios, affines, sanguine iunctos,
 Deditit infanda proditione neci.
 Dum simulat pacem, dum tecum fœdera pangit,
 Coniugijq; tegit grande colore scelus.
 Gaudiaq; & lectos geniales cæde peracta
 Funestos sponsis hospitibusq; facit.
 Non ita Turca fidem, non Tartarus, Indus & Afer

Servat, & ex raptu vivere suetus Arabs:
 Tu velut à Christi sancto rex perfide cultu,
 Qui geris in summo nomen inane gradu.
 Egregiam hinc verò laudem & spolia ampla reportas,
 Dedecus æternum perfidiæq; notam.
 O indigne satu, sceptroq; & nomine regis,
 Semiuir & regni pestis acerba tui.
 O puer, ô nostri pudor, ô infamia secli,
 Non ætas maculas eluet vlla tuas.
 Inunc, & verbis vllius crede Papistæ,
 Et regum dubita pacta carere fide.
 Hic est ille Satan, mendax, homicidaq; dictus
 Iste Papistarum est, Pontificisq; Deus?
 Ecquid ab effectu causam dignoscimus ipso?
 Effectu melior, quæ nequit esse suo.
 Olim summa quidem nostrorum gloria regum,
 Francorumq; fides inuiolata fuit.
 Heu mihi, nunc regis factum execrabile nomen,
 Francica nunc vere est Punica facta fides.
 Audiet hoc, seris detestatura querelis
 Posteritas, dirum Barbaricumq; nefas.
 Audiet, & fastis damnabit & eruet illam,
 Criminis est tanti quæ rea facta, diem.
 Sic tamen ô Caspare iaces, sibi iure trophæum,
 Ausit vt ex obitu figere nemo tuo.
 Consilyq; dati, tædetq;, pigetq; pudetq;,
 Autores cædis participesq; tuæ.
 Ante tuas sedet exuias & conscia virtus,

Et

Et pietas sanctas dilaniata comas.
 Ultoremq; anima ipsa Deum sine fine requirit,
 Corporis hospitio dissociata sui.
 Et benè habet, neque enim longè distare putandum est,
 Vndictæq; diem iudiciumq; tuæ.
 Desine letari Papa perfide, mortuus idem
 Mors tua erit, viuis qui tua pestis erat.
 Desine letari Guysianæ factio fecis,
 Ecce cruenta tuis pœna stat ante fores.
 Desine Lutetia letari ignobile vulgus,
 Augiæ stabulum perfidiæq; domus.
 Vt mus exanimi solet insultare Leoni,
 Vt super extincto crabro triumphat equo,
 Vt turpes miseris instant morientibus Vrsi,
 Naturæq; minus quæ generosa fera est:
 Sic odium herois vomuisti in inane cadauer,
 Nomine solo horror qui tibi viuis erat.
 Tempus erit, magno cum te optatura redemptum est
 Caspar, ob interitum Gallia mœsta tuum.
 Demittentq; caput periuri marcida regis,
 Lilia non vna languida facta manu.
 Semper enim tristis sequitur periuria clades,
 Euentuq; caret fraus scelerata bono.
 Interea excusso soror expergiscere somno,
 Propriaq; ex isto disce pericla typo:
 Eia agendum æternum Germania rumpe veternum,
 Euigilate duces, euigilate viri.
 Contiguus paries, domus ardet proxima vobis,

Ecquid adhuc vestram rem dubitatis agi?
 Nos vobis odium iungit commune papatus,
 Insectamur idem Pontificale scelus.
 Retia vestra, plagas, lato venabula ferro,
 Cumq; Gynecæis linquite Symposia.
 Securi dum vos in vtramuis stertitis aurem,
 Dum capitis cervos, setigerasq; sues,
 Ducitis in multam læti conuiuia noctem,
 Quæritis è terra fossa metalla sinu,
 Conuentus passim sumptu celebratis inani,
 Omnibus extruitis fortia castra locis,
 Dum vos exercet cudendæ cura monetæ,
 Sessio quemq; habeat litigiosa locum,
 Deniq; dum lateres populo duplicatis Ebræo,
 Ciuibus exactas & cumulatis opes:
 Vobis ille supra cervices imminet hostis
 Fraude, veneficio, cæde, latrocinijs.
 Vestraq; conuertit vestras in viscera vires,
 Et vos venales sub sua iura trahit.
 Germanis animis est insita mascula virtus.
 Euigilate duces, euigilate viri,
 Et vestrum nomen defendite fortibus ausis:
 Quam malè ab antiquis degeneratis auis?
 Declinate iugum, nobis imponere rursum,
 Quod Papa molitur, gensq; ministra Papæ.
 Ne sint vestra precor miseri spectacula Belgæ,
 Nec petat à vobis Gallus inultus opem.
 Vestra nec his vltra sit mercenaria virtus,

Quos

Quos Latij scitis mancipia esse Papæ.
 Tu vero in superum cœtus translata beatos
 O Amiralij salve anima egregia.
 Salve anima immarcesibili redimita corona,
 Imposuit capiti quam Deus ipse tuo.
 Qui nudo illustrem tibi circumfudit amictum,
 Vulnera qui medica consolidavit ope.
 Militiæq; suo præclarè nomine gestæ
 Præmia in æternum non peritura dedit.
 Nec minus in terris tua vivet inobruta virtus,
 Perfidie regis testis ubique tui:
 Dum collabatur labefacti machina mundi,
 Ultimaq; adueniat iudicis hora Dei.
 Spectator abominandæ cædis F.

EPITAPHIUM CASPARI CO-
 ligni Domini Castilionæi, Amiralij
 Franciæ.

Hic iaceo, superos colui Colignius: odit
 Gallia, Religio me duce tuta fuit.
 Perfidus occulta me proditor arte necavit
 Regulus: ô dirum principis ingenium.
 Parcite Latrones iuratum frangere pactum,
 Colignos alios Teutona terra dabit.

I. C. A.

EPITAPHIUM AMIRALII GALLIÆ
 ex Italico Idiomatico in Latinum conuersum.

Figge pedem hac qui facis iter, & admirare hæc mem-

bra putrida appēsa Ligno, quæ ventus pro arbitrio ver-
 fat huc atq; illuc: Esca omni rapaci volucris & ludibriū
 facta hostibus meis perfidis & impijs, per regiam illam
 fidem, quam solidam credidi per conscientiam meam
 perque meum desiderium. Natus sum ex sanguine il-
 lustri & iuuenis adhuc Amiralius Galliæ creatus, cum
 prius duxissem aliquandiu Gallicam phalangem, cui
 cum peritia militari ita præfui, vt persuasum esset om-
 nibus, haud eam dum viuerem, quam ab Achille Myr-
 midones ductam iri infœlicius. Post arduos hosce &
 honestos labores à me ad finem cum magna gloria per-
 ductos, contra magnum illum Carolum & fortunatū
 ipsius filium, armarunt tandem meam dexteram pieta-
 te præstantem, querelæ & planctus gentis afflictæ Lili
 deaurati contra impios tutricem.

Et ita potui ratione temporis habita audaciam, ma-
 gnanimitatem, artem & seueritatem temperare Cle-
 mentia, vt primarijs Europæ regibus, quasi freno inie-
 cto, requiem præberem Gregi humili & disperso. Recu-
 perata autem pace eaque domi fruendo recta pro meo
 arbitrato maiore parte Galliæ, Angliæ & imperij Roma-
 ni, dum Carolum I X. Regem orbis principem consti-
 tuere satago. Ecce fortuna illum fœdere coniungit Hi-
 spaniæ regno, quod subuertit omnino nobile meū pro-
 positum. Et ad hoc deduxerunt tanquam duces infeli-
 cem Franciæ regem, iudicium suum exiguum, furor au-
 tem immensus & suorum charissimorum & asseclarū
 odium, inuidia, auaritia & ira. Hisce instructus armis
 insidiosè aggreditur, ferit, occidit, dilaniat & suspendit
 corpus meum non solum, sed & suum ipsius honorem
 regnumq;. Vnde nominis sui fieri mentionem talem
 audiet, vt sit inter periuros, impios, Tyrannos, iniu-
 stos, exemplum infelicis plenum atrocitatis.

Quod

*Quid queso diuitia gradus, arma fortitudo, va-
lor iuuant atque prudentia. Quando subiecti su-
moris casui tam acerbo?*

Romæ publicè affixum Anno 1572.
Mense Septembri.

IN OBITVM HEROIS INCLITI D.
Casparis Colligni, Gallorum perfidia
trucidati.

VERBA SVSPENSI CADAVERIS.

Occubui tandem COLLIGNVS atroce meorum
Ipse dolo: VIRTVS fraude perire solet.
Verus amor regni cum me capiebat IESV
Gallorum regno tunc odiosus eram,
Gallorum, qui nomen habent sine numine Christi,
Nulla quibus pietas, & quoque nulla fides.
Inuidere mihi qui viuo luminis vsum,
Qui mihi defuncto parua sepulchra negant.
En ictum geminis me glandibus, ense peremptum,
Oraque fœdatum, saxa per ima trahunt,
Affiguntque cruci tractum crudeliter altæ,
Pendet vbi capitis planta supina loco.
Sed cur pendentem me trabs altissima gestat?
Sideribus propior factus vt astra petam.
Sons vbi supplicium dedit, ecce quiescit: at insons
Ipse lui pœnas, nec mihi parta quies.
Cum magis in mutilum nequeunt seuire cadauer,
In reliquas rabida bile feruntur opes.

Si quæ representat COLLIGNI corpus imago,
 Carnificis teritur protinus illa manu.
 Nec clypeus tutus, nec cassida tuta, nec arbor,
 Nec domus: interitum cuncta sequuntur heri.
 Officiunt rarò soboli delicta parentum,
 Ipse grauo hæredes integritate meos,
 Qui patris ob fictum crimen damnantur, honorum
 Ne, velut infames, limen adire queant.
 Seuicia mortem scelerate tyranne quid ultra
 Progredieris? raptus sentio morte nihil.
 Scilicet exemplum monstras patriæque tuique
 Excidij, passu quod celerante venit.
 Crede, tot ultores ex nostro sanguine surgent,
 In rutilum guttæ quot cecidere solum.
 Sin hinc nemo foret qui talia vindicet, ipse
 Ipse DEVS pænis omnibus ultor erit.
 Nec quicquam restare tui, restare tuorum,
 Præter PERFIDIAM, Gallica cernet humus.

S. S. A. M.

ANIMAE CASPARIS COLIGNII

Franciæ Amiralij, inaudita omnibus sæculis

Perfidia & immanitate interfecti

in stellam inusitatam

μετεμύχως.

Quid cælo noua stella micat? quid denotat orbi?
 Esse Cometa quidem dicitur illa mihi.
 Ast ego nec formam nec flammam agnosco Cometa,
 Nimirum in solido conspicienda loco

Quin

Quin similis fulgore alijs est vndique stellis,
 Certat enim radijs Iuppiter alme tuis.
 Credo equidem, nec vana fides, si Iulia stella
 Oppresso per vim Cesare visa fuit.
 Nunc & Amiralij, meliori iure, videri
 Sidera, qui magno Cesare maior erat,
 Maior erat pietate, fide Christi que timore,
 Christicoloque oculus presidiumque gregi.
 Vi nunc & fraudum, & scelerum, non Martis aperti
 Canicies illi tineta cruore fluit.
 Membra iacent celsis miserè exturbata fenestris,
 Fractaque & innumeris ludificata modis.
 Ast anima in caelo nulli occidenda triumphans
 En micat è medio luce corusca polo.
 Ostenditque adeo stellarum uiuere Regem,
 Cui cura exigui sit laniena gregis.
 Et pœnas scelerum auctori denunciat atras,
 Quas luat in stygijs sanguine spurcus aquis.
 Illa autem visu paulatim excelsior acri,
 Angelici repetet regna beata chori.
 Cœlestesque animas inter non vltima, tantis
 Gaudia pro plagis non peritura feret.
 Salue anima illustris, salue ô pulcherrima stella,
 Dulcis Amiralij nuncia stella tui.

I M. M.

DE COMETA POST CAED EM
 Amiralij conspecto.

Quae prope Cassiopen noua lucet in æthere lampas,

e y

Non est sanguineis stella cruenta comis.
 Casparis hæc anima est Coligni, cui Deus ultor,
 Pænarum certas indidit ipse minas.
 Excidijs fontes deletum funditus iri,
 Bella per atque neces, & genus æmali.
 Ni tamen hæc anima est, sed crine flagrante Cometes,
 Portendit magnis regibus interituum.
 Carole quo fugies? quod si nil credis Olympo,
 Crede tuæ saltem matris aruspibus.

I. C. A.

D E E O D E M.

Post clades varias, necesseque multas,
 Post discrimina dira Christianis
 Intentata, dolosque fraudulentos,
 Et post fœdera rupta ter quaterque
 Pacis, perfidiasque mille formes
 Post tot denique Galliæ rumas,
 Quas satam quibus opprimunt Tyranni:
 Ah, ah immeritissime, peremptus
 Es, Collignius optimus bonorum,
 Ingens Franciaci columna regni.
 Illius miserabilemque casum
 Testatur polus, innocentiamque,
 Promittens fore cædis ultionem.
 En stellæ radios nimis rubentes,
 O Rex Carole, qua sui sedilis
 Mater Andromedæ reclinat orbem:
 An tu nil metuis vel astra cæli?

Vel

*Vel nil sanguineum times cometam?
At speres Nemesis Dei Iehouæ.*

I. C. A.

IN ANNUM IUBILEVM AB P. P.
Gregorio XIII. indictum.

*Aeternum propter celebrans periuria numen,
Et terris facta cæde marique, Dei:
Indicensque statæ solemnia tempora laudis,
Atque pios cætus ad sacra templa vocans:
Hiccine is est, qui vult Pastor sanctæ esse cohortis,
Atque tui custos, optime Christe, gregis?
Non est Christe tui custos & pastor ouilis,
Sed rabida sæuus fauce furensque lupus.
Ludite inhumanis rebus scelerata caterua,
Ludibrio se habitum non sinet esse DEVS.*

ANAS. QV. F.

T. FAVINI REGII IN CASPAREM
Collignium Franciæ thalassiarum, perfidiose & nefarie trucidatum.

*Francigenum columen regni Collignius heros,
Idemque vndiuagi portus & aura maris.
Guisia lethali quem factio glande petitem
Destinat immerite rege iubente neci,
Quemque dehinc miserè transfossam vulnere multo
Traxit per plateas, heu furor, hostis atrox:
Ecce (nefas) manibus truncis & vertice manco*

e ij

*Nunc resupinatum de cruce pendet onus
Sine scis, leges peruersas regnaque teque
Monstrant inuersi, Carole nonne, pedes.*

AD INSPERATAE PERFIDIAE FAMAM
qua Carolus nonus rex Galliae erga suos subditos
repurgatae religioni addictos anno
1572. 24. Augusti usus est.

*Perfide Galle fidem quater ausus fallere caelum
Aspicias? Et talem pestem elementa ferunt?
Sed quid ego? dicens: Nolite attingere sanctos,
Et: Vindicta mea est, non feret hocce scelus.*

M. G. F. M. M.

EIVSDEM IN EVNDEM.

*Perfide Galle quid insanis? cur frangere sanctam
Audes iam quartum, perfide Galle fidem?
Perfidia creuit tibi regnum perfide Galle,
Hoc ipsum perdet denique perfidia.
Quis tibi iam credet Gallorum pessime regum?
Cum toties fallas perfide Galle tuos.
Quin vos hanc diram terris excindite stirpem
Germani, iustos quos decet esse, duces.*

CORVI AD GALLOS.

*Heu vbi Parrisijs Falconia furca minatur
Excidium, insontis pondere pressa viri,
Supplicium rauco crocitamus gutture corui,
Parcentes rostro corda ferire senis
Exanimi senis: at fontes suspendite viuos,*

Illico

*Illico discerptos rostra redunca dabunt.
Quid facitis Galli, nigrarum turba volucrum,
Pectora quum vestris candidiora gerat?*

GALLIA AD EXTEROS.

*Hectoreis olim vigui quæ Gallia Francus
Firma, mei regis vi labefacta cado.
Ne mirare altas hospes peregrine ruinas,
Est mihi, quo steteram fulta, peremptus Atlas.*

**DISTICHON NUMERALE CONTI-
nens Annum Christi 1572.**

*Guisano occubuit pius ab Collignius astu:
Lux quater Augusti sena dolenda venit.*

VERSUS ARITHMETICVS.

Bartholomæus flet, quia Francicus occubat Atlas.

**CAROLVS MAXIMILIANVS
Rex Franciæ**

N. Parrhesij anagrammatismus.

**CARNIFEX MAXIMVS, LARVA
Asinocleri.**

Monumentum, Caspari Colligni Pijß. M. S.

**CHRISTIANÆ ANTIQVITATIS SEVERISS. PRO
PVGNATORI, APOSTATICÆ RELIGIONIS CACO
LYCÆ OPPVGNATORI, LEGVM LAVDATISS. IN
STAVRATORI, GLISCENTIVM NEQVITIARVM
IVGLATORI,**

**S. P. Q. Romanus Antichristum ciurans
P. C. Lutetiæ Parisiorum.**

IN GALIA AD EXTEROS NI DA

Historia de regibus Gallie Francorum

Francorum regibus

Ne mare ab hisse possit tunc

Historia de regibus Gallie

DISTICHON RYMERICI CONTI

Historia de regibus Gallie

Historia de regibus Gallie

Historia de regibus Gallie

VERSUS ALTHEMATICVS

Historia de regibus Gallie

CAROLVS MAXIMVS

Rex Francie

Historia de regibus Gallie

CAROLVS MAXIMVS IARVA

Abbas

Monumentum f. 1. 2. 3.

CHRISTIANE VIRTUTIS BEATVS PRO

STATVS COLLEGIUM NOSTRUM

INVENTVS

S. P. O. Romanus Anselmus

P. C. Lucius Patricius



FOEDVS SOLIMANNI TVRCARVM
IMPERATORIS, ET HENRICI II

*Regis Francorum, Christianiss. cognomento, de bello in
Italia gerendo contra Carolum V. Imperatorem,
maritimo bello, Constantinopoli percussum
Aramontio Henrici Legato.*



Solimannus Maximus Imperator, & Henricus Valesius
secundus cognomento, Francorum rex Christianissi-
mus, de bello maritimo gerendo contra Carolū V. Cæ-
sarem, quod felix faustumque sit, his, quæ infrà scripta
sunt, verbis fœdus inierunt.

1. Cùm Solimānus maxim⁹ Turcarū Imperator, Henricū Valesiū
Francorū regem, classe contra Carolū V. Cæsarem in inferum mare
transmissa, sæpe quidem accersitus, tum verò maximè obnixeq; ro-
gatus integrum propè biennium iuuerit, placere, vti Henricus rex
reliquorū stipendijq; nomine, cùm primū instructa Turcica classe
tutior ei facta fuerit ad traijciendā pecuniā nauigatio, millia aureorū
nummū CCC. pendat: quæ donec Solimāni classis præfecto nume-
rabuntur, Henrici regis triremes ab ea ne discedant, sed pignori reli-
ctæ huius pecuniæ tanquam prædes, ac pignori cōstitutæ cēseantur.

2. Vtiq; Solimānus Maximus Turcarū Imperator, si hæc bona fi-
de præstabuntur triremes instruens LX. piraticos myoparones
xxv. proximis Maij Calendis in quatuor insequenteis menses Hen-
rico regi comparet.

3. Vtiq; si ea classe Henricus Valesius rex occidentem versus à
Crotone scilicet Caietatenus per id tempus vti volet: is aureorū nu-
mū CL. millia Solimanno Turcarum regi maximo fide probaret,
etq; numeret.

4. Vtiq; quæcunque Cæsaris naues, aut sociorum onerariæ, a-
stuariæ, biremes maiores, minoræque, à Solimāni classe capiētur, So-
limanno Turcarum Regi cedant.

5. Vtiq; quas vrbes, municipia, oppida, vicos ea classis expugna-
bit, quosq; ciues, municipes, incolas, puberes, impuberes, mares, fœ-
minæque capiet: quicumque ciues, municipes, incolæ Christianam
fidem atq; disciplinam tueantur, deditiōemue faciāt: cæ vrbes, mu-
nicipia, oppida, vici, Turcis prædæ: ciues autem, municipes, incolæ,
puberes, impuberes, viri, fœminæue, mancipio seruitutiq; concedā-
tur. Ita quidem, quemadmodum inter se proximis superioribus, an-
tè verò decē & septē ab hinc annis optimè cū Francisco patre, recte-
que conuenisset. Henrico tamen regi ex hoc supraq; scripto fœdere

dominiū ipsarum vrbium, municipiorum, oppidorum, vicorū, & eorū annona cōmeatusq;: bellica quoq; & ahenea maiora & minora tormenta, cum omni eorum apparatu instrumētoq; relinquuntur.

6 Vtiq; si Solimanni classē, rex Henricus non ad occasum, sed ad orientem solem & meridiem, hoc est, à Truenti fluminis ostijs ad Crotonem contra Carolū Austriū nauigare ferriq; iusserit: ita demum ea classis Henrico regi sine vllis stipendijs militet, vti cedē tibus Henrico regi vrbium, quæ captæ erunt à Turcis, municipiorū oppidorum, vicorum dominijs, aheneis item tormentis, & eorū apparatu, nec non annona: eæ vrbes, municipia, oppida, vici, Solimanni classi, quod superiore capite præceptum est, prædæ: ciues verò, municipes, incolæ puberes, impuberes, mares fœminæue, etiam si religionem Christianam profiteantur vltro se dederint, seruituti permittantur tradanturque.

7 Vtiq; quocunq; Turcica classis appulerit, locus is vltra continētē, vrbs, oppidū, municipium, vicus, portusve: vel intra mare, extrāue sinus sit, à Truēti scilicet limitib. ad Hydruntē atq; Crotonē, inde Siciliā prouinciā ac Neapolim, & vbicunq; Quintus Austrius Cæsar quid habeat, possideat: ea loca, & quæ inciderint nauigia, si Turcicæ classis præfecto è re esse videbitur, nomine Solimāni regis expugnare, diripere, obtinere, incursiones agrorū facerē, populari, mares, fœminas, puberes, impuberes in seruitutē abducere, & arbitrato suo eā omnē prædā, cū vrbū & villarū, tūm hominū habere sibi, & ea, etiam inuito, maximeq; prohibente Franco, vti, frui, potiriq; liceat.

8 Vtiq; quocunq; Solimannus Max. Turcarum Imperator opera Ferdinandi Sāseuerini, Salernitanorum principis, vnā ex quatuor vrbibus, cum eius vrbis arce, vti verbis conceptis spopōdit, in Apulia obtinebit, Solimannus Max. Imper. CCC. millia aureorū, quæ suprā deberi sibi, persoluiq; cavit, quæq; tum soluta erunt, illa itaq; Henrico regi salua atque integra remuneret.

9 Triginta præterea triremes earūq; remiges Christianos sine vlla mercede, nec non tormenta, cōmeatus, & reliquū omnem apparatū, nautis tantū suis, atq; militibus exceptis, tradat. Principi verò Salernitano, quòd is hisce procuradis egregiā operā nauauit, quodq; patria, domo, dignitate depulsus sit: huic ergo Solimānus rex expensa liberaliter millia numinū aureorum xxx. quamprimum ferat.

Hæc vti suprā scripta sunt, Aramontius, Henrici Francorum regis apud Solimannum Legatus, totidem verbis de more stipulatus est, solenni iureiurando addito. Salernitanorum princeps ad hæc internuncijs affuit. Rhoftanes Bassa ex Solimanni regis autoritate vltro spopōdit. Acta hæc omnia conuenta que Byzantij Calen. Febr. M. D. LIII.

CONDITIONES A CAROLO NONO GALLO-
rum rege propositæ Polonis, si Henricum fratrem Andega-
uensem suis suffragijs deligere regem velint.

*1 Per Legatos pollicetur, se iura omnia, priuilegia, immunitates, regni cōsue-
tadines vt à maiorib. sint traditæ, non solū ratas sanctasq; habiturum, sed lon-
gè etiā amplificaturū: daturumq; operam, vt, quæ ad hoc tempus Poloni amise-
rint, suis viribus ac sumptibus primo quoque tempore recuperentur.*

R E F U T A T I O .

Audiuit Gallus, vt videtur, hoc esse Polonis in more, atq; in in-
stituto positū, vt nouo regi nō prius se iureiurando obstringāt, quā
eis polliceatur, se sanctè maiorum instituta omnia seruaturū: vt nō
illius magis conditio hæc videri, quā nostra debeat. Qua de re tamē
quā sit illi fides habenda, insigne nobis hoc tempore documentum
dedit. Itaq; si minus patiamur nos ab illo induci in fraudem, non illi
de nostra constantia exoptulandum est, sed de sua leuitate ac perfidi-
a, qua perfecit vt nemo se credat illi fidem habere posse, quin sibi
id fraudi atq; extitio futurum esse intelligat. Est autē eius propriū,
qui & sæpe & magnis in rebus fefellerit, quò eorū fidem faciat, quæ
credi velit, & plura, & maiora suis viribus spondere. Sed illud Polo-
nis à te animis infixū manet, eum, qui per summā perfidiā & scelus
tā fœdam suorum carnificinam hominū innocentissimorū ediderit
non æquiores mitiorēue exteris futurum. Habet tamē Christianif-
simus rex, quo religionē suam tueatur: Esse enim hoc sanctū Ponti-
fici Romano ait, Hæreticis non esse fidem seruandā: quod si demus,
rectè in pontificio iure sancitum esse, nobis multo equius in illū li-
ceat retorquere, quē omnis iuris & humanitatis expertē, malè de reli-
gione sentientē, pessimè de vita hominum meritum, cum viro clarif-
simo atq; amplissimo C X X X. atq; eo amplius hominum millia in
dicta causa ferro delēda vno edicto atq; imperio curasse audiui-
mus. Nā si ij hæretici, qui ab hominū consensu discedunt rectè sententiū,
quis te vno tetrior atq; immanior? Atq; nos tamē in te multo equio-
res, qui non tibi fidē datam tuo exēplo frangendā nobis, & violan-
dum ius gentiū, sed ne temerè credamus periuro, nobis cauendū cē-
seamus. Itaq; ne te diutius falsa spe duci patiaris, nemo ferè è nostris
est, qui si temerè ijs imposit⁹ rex sis nō te hinc vi atq; armis deturbā-
dū, ac præcipitè agendū putet. Nā si qui sunt, qui iam pridē facta bo-
norum iactura, ne famā quidē atq; existimationem sibi integram à
labe pudoris reliquerint, & se corrumpi tuis muneribus & largitio-
nibus patiantur, quàm gratiosa suffragatione fratris petitio subnixa
stet, potes per te ipse, tacentibus dissimulantibusq; nobis intelligere.

2 Curaturum se puri auri dolia viginti è Gallia in Poloniam asportanda.

Quàm æquius esset te, Galle, probitate, pudore, fide innixū, quæ regiae virtutes sunt, quàm largitionum magnitudine fratri adolescēti petere regnū? Nam viginti auri dolia diuitiarū ostentationē habēt: cōmendationem earū virtutū non habent, quas ij requirunt, apud quos frater se regni cādidatū profitetur. Qua in re tamen est, quod de te Poloni principes querantur: de quib. ita malè sentire videaris, vt quæ res maximè apud Gallos potest, quib. sunt oēs magistratus, dignitates, honores venales, putes à sua fide donis & munerib. posse abduci. Itaq; nos mouent, vt quādo quæ apud vestros vobis laudi dātur, intelligitis, apud bene moratos populos probro & dedecori haberi, in cōcipiendo suscipiendoq; flagitio aliquid nobis integri ad receptū relinquatis, vt fides quidē sit, vos esse improbos, sed quæ hominū de vobis sit existimatio futura, vobis curæ esse. Sed vnde repente vobis tantæ tā immanes diuitiæ? Quantā hinc plagā vestræ existimationi & nomini infligitis? quantā aspergitis infamiæ labem? quātum dedecus? Quid. n. uis Carole rex de te Polonos statuere? cū tantæ tuæ opes sint, pati te, tuā fidē à multis populis, à priuatis ferè innumerabilibus, in Galliæ, Italiæ, Germaniæ conuentib. summa cū tua ignominia desiderari? Nihil est quidem facilius, quā, qui fecerit, iniuriæ obliuisci: sed illud etiam addendum, nihil esse facilius, quā cui illata iniuria sit, eius memorē esse. Sed audire tamen puer potuisti, in magnis ærarij angustijs Henricum patrem, cū ferè per vniuersas Europæ prouincias proposito edicto polliceretur, ijs qui regio ærario pecuniā mutuam commodarēt, sesquicentessimā se sortis nomine soluturum, ingentem pecuniæ vim vndiq; coaceruasse: vbi hac veluti illecebra multos inductos in fraudē, qui pl⁹ equo profressi credendo essent, pellexisset (quis verò regi nō crederet?) repente sua spe frustratos, destitutosq; ad rerū omniū egestatē, amissa fide, existimatione, nomine redegisse. Hinc factū esse, vt relictī liberi extremis vitæ subsidijs indigētes, coacti sint victū sibi precaria ope quære ostiatim: cū interea audirēt, in regis decoctoris aula ditari mimos, lenones, pductores, impuros atq; obscœnos homines, qui ex innocētiū mœrore & luctu beati homines vitā letā & solutā iuris traducerēt. Sed vnde tamē repēte xx. auri dolia, nō Cræso nescio cui regi Lydorū, qui aureis lateribus sternendū Apollinis tēplum curarit, sed egenti regi, inopi, misero? cui si numus sit à priuatis extorquēdus, regni vectigalia sint addicenda priuatis, oppignerandum argētum, veterū regū deliciae, gemmæ, regni insignia. Meministine, Carole IX. ab hinc annis, cū Venetos de pecunia appellasses, ita tibi credidisse, vt quibus tua apud illos fides niteretur, antea illis tradere, facti auri, gemmarum magnam vim, regia ornamenta coactus sis. Itaque suspiantur Poloni, cruentum hoc aurum esse, Tolosani auri memores (A. vobis

vobis enim Galli, non à Scythis, aut Pænis, prouerbiū fluxit) *et*.
 fecerantur conflatum ex innocentium spolijs, proscriptorum bonis,
 cuius contagione fiat, vt in eandem ipsi amentia furorēq; rapiatur.

3 *Quotannis puri auri dolia tria.* Quin tu his redimis tuā fidē, vindicas te à sūma infamia, missos facis Polonos, qui nō venale regnum auktionantur, non ditiori, profuso magis, sed qui virtute, probitate, sapiētia excellat, sint addicturi. Peruenerunt iā miserorum querelæ ad vindicem tuorum scelerum deum qui, ne tibi niniū placeas, atq; ita statuas, diu hæc tibi licere impunè ferre, vt eque facere impunè licuerit: tuo te ingenio permittit, vt quò minus velis, tuā causam gladio iugules, tuā ipse nequitiam detegas, qui cum te nulla virtus cōmendet regio munere digna, ad largitiones & munera recurras.

4 *Inter reges Polonos & Gallos iētum fœdus perpetuò se sanclum habiturū.* Hoc verò non ferendum, Gallorum regem tam recenti re, tam testata atq; explorata omnibus, tāquā in vitima Mauritania verba faciat de fœderib. feriendis cū Polonis agere. Nihil moramur, Galli, vestrā hanc nouam coniunctionem, neq; verò ob eam causam, quò fortè vereamur, ne quādo ex vestra cōtagione nobis hæreat morbi teterrima illa lues, qua magnā orbis terrę partē infecistis, sed ne ad nos serpat vestra perfidia, crudelitas, immanitas, quæ Poloniae regnū, (quod à nobis omen auertat Deus) vt nuper Galliaē populos, euertat.

5 *Valachiam seu Moldauiam Poloniae regno in potestatem redactam adiunctorum.* Id totum tibi, Galle, Poloni remittunt: satis .n. ipsi per se sunt pares recuperandis suis, si quæ amiserunt, cuius rei documentum dedit non ita pridē clarissimus vir, atq; in primis rei militaris peritus, Albertus Lascus, qui eam partem armis deuictam imperata facere coegit. Qua in re tamen es Carole, monendus, etiā atq; etiā videas, quò progrediare, qui te arma ijs populis illaturū spondeas, qui patrono tuo Turco parent, adeò de te præclarè merito: quē, si sapias, sua suffragatione iuuantē & subleuantem te, à tuis rationib. nō alienabis. Nam si existimas, tua causa illum de suo iure decessurum: haud satis videris, perspectam Turcarum consuetudinem habere: neque enim illi consueuerunt, quæ semel parta armis obtineant, præmium facere, quod tibi nunc spondes, exteriorum cupiditatis.

6 *Perfecturum sua auctoritate, vt perpetuo fœdere Turca cum Polonis iungatur, fœdus quod cum his instituerit, castè & religiosè colat.* Adhuc non pudet fœderis mentionē facere periurum regē, religionum omnium contemptorem, hostē. Quid verò: ita sui oblitos Polonos existimas, ita parum earum rerum meminisse, quas hoc tempore in Gallia gefisti, vt si ijs opus sit interprete, quo nō indigent, ad fœdus cum Turca atq; amicitiam instituendam, ad te perfugere exteri velint, quem à te iētum de consilij sententia, auctoritate Germanorum principū confirmatum, quorum est maiestas & dignitas tanta, ita intelligant

præstitisse tuis. Nam quod Turcæ iudicium de præclaro tuo facto sit, illud indicio tibi esse queat, qui à te homines, quòd Christi religionem sanctissimam purè & castè colerent, sint barbara crudelitate trucidati ferro, ijs liceat tutò sub illius imperio ac ditione agere. Sed illud interea est operæ precium animaduvertere, Christianissimum regem ita arctè esse Turcæ deuinctum Christi hosti, vt, si cui aditus sit ad illius gratiam quærendus, per quem æque facilis pateat vbi quis ab illo discedat, inueniri nemo alius possit.

7 *Suis sumptibus curaturū se, in Academia Parisiensi ex Polonorum iuuentute ad CC. alendos quibus per suorum tenuitatem tuendi victum facultas desit: id quod magno commodo atq; vsui sit Reipub. futurum.* Præposterum verò ac putidum in primis pietatis genus, si hoc dici fas est: cū Gallia tota referta sit optimæ indolis adolescentibus, quos egestas summa atq; inopia rei familiaris à literarum studijs auertat, principis liberalitatē patere exteris, quæ clausa sit suis. Nāq; ita hoc Poloni non requirunt vt ipsi alant sua sponte ex externis nonnullos, qui specimen ingenij aliquod in literis dederint. Ita autem illi de hoc genere toto suspicantur, qui ea verbo polliceatur, quæ vbi minus re præstet, nullā intelligat se infamiam consecuturum, eū vbi illius rationes postulent, ab ijs, quæ temerè sponderit, æque temere discessurum.

8 *Tartaros eò se redacturum, vt nihil sit ab ijs periculi in posterum pertimescendum.* Enimverò res est digna admiratione, cū in sanctiore regis consilio non vnus sit Nestor, quē rex consulat (Nestor enim tibi est, Carole Moruillerius, Foxius, Mōlucius is, quē ad nos legasti, nobis ita quidē, vt tu Agamēnon regū rex) sed est, inquā, digna res summa admiratione, cū tanta de horū sapientia opinio sit, his perscribendis, ita eos nihil vidisse, attulisse repugnantia, ignorasse quæ, quāta essent, quæ pollicerentur, digni asini præsepi, & fuste, quādo ratione nō queunt, redire ad sanitatē, atq; ad mētem hominis cogantur. Tanquam enim ijs cum pueris res sit, ita pollicētur temerè, quæ neque eorum potestatis habentur, neque etiam si sint maxime honesta regi, ea futura esse intelligant. Tuæ ne sunt, Carole, vires tantæ vt Scythas, populos ferocissimos, aggressum armis, speres te facile debellaturum? qui domestico bello gerendo, nisi ex Italia precario corrogata auxilia tibi à Germanis, Italis, Heluetijs suppeditentur, haud par sis. Age verò, demus, te posse: ignoras, Scythas in eius esse ditione atq; imperio, à cui⁹ nutu si latū vnguem discedas, intelligas tibi id cōtinuò capitale fore? Quam. n. hoc sit verū, ne sit nobis foris quærendus locuples ipse es testis, qui Christianis regib. magno cōsensu aduersus illum gerentibus bellum, Christianissimus rex vnus quiescas, ac belli euentū otiosus spectes, tanta id quidē tua cū inuidia, quanta sequi tam turpem causam & flagitiosam necesse sit.

Sed

Suis sumptibus, quæ Moscus Lituaniae ademit, regno Poloniae restitutum. Liberant te hac cura Poloni, & si poteris, monent, melius aliquanto, quàm ipse videre, tuis rationibus consulturi. Cur. n. Philippus rex, te æquo animo ferente, dissimulante certè, Neapolitanum regnum tam opulentum, Siciliam omnem, Insulæ vrbes tot, tantas, tam egregiè munitas obtinet. Quanti apud nos esse putas politiones has tuas, hæc adeo speciosa nomina, qui cum patiaris tua tam lento animo ab alienis occupari, Polonis spondeas, quæ adèpta ijs sint, tuis sumptibus te restitutum. Sed illud interea non est prætereundum, cui vix liceat in suo regno securo esse, qui sibi neruos omnes & vires præciderit. per tantâ suorum cladè, clarissimis belli ductibus vno veluti ictu fulminis è medio sublatis, eum de ditandis augèdisq; Polonis tâta accessiõe imperij cogitare. Disce, Carole, quò plura speres, pauciora polliceri: gratiora enim ea habentur, quæ sua spe maiora hominib. contingunt. Nam vt dissimulatio domesticarum viriũ, nescio quo modo, pudoris, grauitatis, moderationis laudè habet: ita habet ostètatio leuitatis summâ infamiã, neq; adeò in rege solum, sed in priuato etiam homine, atque infimæ sortis non ferenda.

10 Liuoniam suis impensis Polonis adiuncturum. Pergis etiam tuã leuitatè nudare ijs, quorũ suffragijs postulas, vt nouum tibi regnum adiudicetur. An verò Polonos ita rerum imperitos & barbaros putas, vt si regè tam leuem habeant, sint diutius, quam necesse sit, illũ laturi. Scilicet cùm in eos populos imperium obtineas, quorũ sunt leuissima ingenia (qui enim aliter patiantur à te homine inertissimo sibi imperari, & cuius tâta nequitia sit) speras adeo acerbo iugo nos quoq; ceruices subiecturos. Sed iã diu scitũ est, Hispanos reges leonib. Gallos asinis imperare: Poloni quidè miti ac placido imperio, cuiusmodi esse parentum in liberos solet, haberi consueuerunt.

11 In regni finibus ex Aquitania delectorum peditum quatuor millia, qui regno præsidio sint, suis sumptibus habiturum: Quid si præstat, in magno Galliè motu, tuo scelere rursus ciuili bello acerrimo inter tuos concitato, quorum opera sis vsurus, nostris finibus tuendis, eos hoc tempore Rupellã mittere obsessum: cùm præsertim tua crudelitate à Gallicis alienati Heluetij, tibi importuni precib. vrgèti, auxilia negarint, renũtiarint Germani stipendia, Itali, bello Thracio occupati, in quo vno vertitur totius Christiani orbis salus, negent se Gallo regi, Turcæ clientĩ, quem totis viribus oppugnatum eunt auxilio futuros. Nam his ipsis Aquitanis ignorat Poloni, vtrum sis vsurus aduersus eos, qui aduersam Romano pontifici religionem profitentur, si tibi per eos liceat perducere ad exitum, quæ animo moliris.

12 Naruensem navigationem eo vsq; prohibiturum, vt nemo posthac suscipere sit ausurus. Obstaret tibi Succus, Moscus, Danus, (no.

mins tibi hæc modo videtur, qui præ te esse hominẽ neminẽ putes) Germaniæ maritimæ regiones omnes, Pomerania, Anglia, Scotia, quæ in loca ex Narua merces necessariæ importantur. O leue atque inane hominis ingeniũ. Quid dignũ tanto feret hic promissor hiatus? magna hæc omnia, grãdia, ingētis roboris & viriũ, vix quæ Selym Gallorũ præses deus, tantis opibus subnixus, audeat de se spõdere: exitus qui sit futurus, alij viderint, si qui sint, qui, vt tu es vendere paratus, fumũ sint parati emere, & cum inani strepitu verborum maxima regna atque opulenta commutare.

13 *Non passurum, vt Danorum rex interclusione Zundensis Polonie moles flus sit: mare quoq; quã ad orientem solem vergit, & Balticum regia classe tutaturum.* Vix tandẽ ad perorationẽ venit, & quidẽ sui semper similis, & turgens ac tumens totus, pergit ad finẽ vñq; nos promissis onerare, policeri aureos montes, vnde scilicet tot dolia puri auri, quæ ad nos fortunatos tã beato atq; opulẽto rege futuros, terra mariq; vehantur, vix, si fides dictis extet, non cœlũ nobis desponsurus. Vtrũ verò malis Carole, tua optio est, siue te stultissimũ omnium hominũ fateri, qui te credas, quæ promittas, Polonis posse præstare, siue impudentissimũ, qui ita malè de nobis existimes, vt tanquã in regijs hortis atq; in matronarũ cœtu Gallorũ heroũ miracula & somnia narres, tã absurda, stulta, inter se pugnantia cũ nobis afferas, his velle videaris à nobis fidem haberi. Quis verò te docuit, rhetor, ex tanto numero, quos in regia vrbe alis, à quib. regnũ petas, de ijs ita contumeliosè & sentire & loqui? Nãq; ni ita sit, quid se esse secutos tui illi Solones dicent, cũ ijs venit in mentẽ, eas Polonis condiciones ostentare, quæ amentissimũ regem carcere, vinculis constringendũ, non à regni administratione solũ, sed ab hominum congressu remouendũ demõstrarent? Quid? putas, nos ita tui, tuorũ similes, dissimiles nostri, vt non iam tibi, in quo præter sceptrum & infulas, quod regium sit nihil animaduertitur, sed tuorũ consilio quorũ tanta leuitas atq; incõstantia est, nos regni fortunas, tot populorũ & gentiũ salutem sinus permitturi. Satis est tecũ præclarè actum, cui regnum in eos contigerit: qui ita ferre te norint, vt se abs te ferri intelligant, qui regem agnoscere, simiã regni insignia gestantẽ, asinũ cumanum, statuam, truncũ, lapidem consueuerunt, nos mitte, qui regem, non tyrannum querimus, non lenonẽ personatum, non mollẽ, fractũ, eneruatũ sed virum, sed pudentem, cuius sint casti mores, vita à nequitia & flagitio integra, qui sit nobis lex, præscriptio, norma, exemplar ad bene & cum laude viuendum. Habes, quæ sit nostra sententia. Vale, si modò, qui tam perditus profligatusq; sis, valere, tot sceleribus & flagitijs coopertus potes.

FINIS.



No 1467 e

X 22069 12





Kd 6190

ILLVSTRIVM
ALIQVOT GERMANO-
RVM CARMINVM LIBER,

De immanissima summéq; miseranda Christiano-
rum laniena ab impijs & crudelissimis Gallia Tyrann-
nis, Lutetia Parisiorum, Lugduni item, alijsque eius-
dem regni locis truculentissimè sceleratissi-
meq; patrata.

Anno Salutis M. D. LXXII.

*Vna cum Epicedijs & Epitaphijs quibusdam praestantissimi Herois D.
Casparis Collignij Comitis, Castilionzi, Amiralij Francia, nec non
aliarum quarundam praestantium personarum.*

Quibus addidimus ad summæ gloriæ apicem Fœdus Hen-
rici cum Turca: & Conditiones Caroli IX. Polonis
oblata ad regni ambitum cum Com-
mentarijs.

No 1467

1915. 1150

VILNÆ
M. D. LXXIII.

